

David Lobeck Gottfried Florinus

Disputatio Theologica Erroneo Calvinianorum, De Primaria peccati causa & origine, dogmati e diametro opposita, & Sub Praesidio ... Dn. Davidis Lobechii SS. Theologiae Doctoris & Professoris. In alma Rosarum Academia ad examinandum publice proposita a Godfrido Florino, Steinhemensi Westphalo. In Auditorio magno ... die 28. Iulii

Rostochii: Reusnerus, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn771907818>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn771907818/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771907818/phys_0001)

DFG

Dissertatio Theologica,
ERRONEO CAL-
VINIANORVM, DE PRIMA-
ria peccati causa & origine, dogmati
è diametro opposita,

&
SVB PRÆSIDIO
Reverendi ac Clarissimi Viri
DN. DAVIDIS LOBECHII
SS. Theologiae Doctoris &
Professoris.

In almâ Rosarum Academiâ ad examinandum
publicè proposta à
GODFRIDO FLORINO,
Steinhemensi VVestphalo.

In Auditorio magno, horis matutinis
die 28. Julij.

ROSTOCHII
Excusa apud Christophorum Reusnerum.
Anno M. D. C. I.



REVERENDIS, NOBILIBVS,
STRENVIS AC PRAESTANTIBVS
VIRIS,

Dn. IOACHIMO à Bassewitz / PRÆ-
posito Ecclesiæ Swerinensis dignissimo, Præfecto
Dobbertinensi vigilantissimo, Hæreditario
Domino in Levitzow.

Dn. IOACHIMO ab Oldenburgh/
Marscallo juniorum ducatus Megapolensis
Principum solertissimo ac
fidelissimo.

Dn. DAVIDI à Bassewitz / CONSI-
liario illustrissimi Megapolitanorum Ducis
spectatissimo, Hæreditario Domino
in Dalviß & Luborch.

*Dominis ac fautoribus suis omni obseruantie ac
cultus genere honorandis ,*

Hanc verè gravem ac arduam de primariâ peccati causâ
disputationem contra Calvinianos potissi-
mum institutam

officiosè dedicat & offert

Godtfridus Florinus
Respondens & Autor.



• 95 •

DISPV TATIO NIS THEOLOGICAE
DE CAVSA PECCATI
ERRONEO CALVINIANO-
rum dogmati oppositæ.

THEESIS I.

CRavis admodum & ardua præ reliquis est, nec non multis difficultatibus spinosis intricata questio illa, qua de peccati causa inter Literatos agitur atq[ue] controvertitur.

2. Si enim uspiam unquam impegerunt humana ingenia graviter, inter quos se dissenserunt acriter, utique in hujus questionis explicatione & resolutione impegerunt quam gravissime, dissenserunt quam acerrime.

3. Fuerunt namque qui ab actionibus malis, quas peccata vero Epicurei camus, providentia divine regimen prorsus removerent, ac sequestrarent; omnium omnino rerum humanarum eventum fortuito casui attribuentes.

4. Alij autem per excessum exorbitantes ita illas divine Floriani providentiae subjecerunt, ut statuerent; Deum peccata hominum & Libertini velle, utque fiant non solum immutabiliter decernere, sed etiam efficaciter procurare.

5. Quam turpisimam prodigiosae impietatis notam purissima Valentianii. Deditati ne inurerent, quidam Deo bono alterum adjunxerunt Malum, a quo omnia fæditatis & malitiae facta promanare, suamque originem trahere dicebant.

6. Horum nihil placuit aliis: qui propter ea, ut & ab uno Hermogeni illo vero Deo dictas malitiae actiones averterent, & dualitatem Marcioni Deorum esse.

Deorum tollerent, ad materiam rerum se converterunt, docuerunt q̄ ab eterno exitisse cūm bonam tūm malam materiam, cuius virtute vitiove fiat, quōd ex alterātra creati homines boni vel mali existant.

Manichæi. 7. Alij verò hoc quoq; figmento non acquiescentes hanc concinnam commenti sunt fabulam; nimirum utroq; Deo ex subjectâ sibi materiâ opus aggresso ob pugnam inter illos exortam, adversariam gentem (ita appellabant materiam malam) aliquid de suâ substantiâ hominis creationi admisuisse, illamq; ipsam substantiam peccatorum in homine causam extitisse.

8. Ex hoc tām confuso, tām vario, tamq; multiplici teterimarum opinionum cinno, quid aliud colligere possumus, quām admodum abstrusam, difficultem ac arduam, nec non multis obscuritatibus nebulosissimis involutam esse verae peccati cause investigationem.

9. Quae tamen difficultas & perplexitas deterrere nos minime debet, quō minus in veritatem illius de causa peccati questionis sedulò ac diligenter inquiramus, quō, quid statui de illa rectè possit & jure debeat, assēquamur.

10. Quod ut majori facilitas & breviori compendio fiat, non humana rationis placita morabimur, ejusve speculationibus indulgebimus; sed in augustum Sacrarum literarum penu subrepentes Spiritui Sancto animos nostros hujus rei cognitione paſcendos ac imbuendos exhibebimus.

11. Hujus enim voci nī patentes & parentes præbuerimus aures, verendum ut i q; nobis erit ne intricatissimo falsarum opinionum labyrintho, magno nostro cum damno, prorsus seducamur ac undiquaq; irretiamur.

12. Haud secus ac Epicureis, Florianis, Hermogenianis, & deniq; Manichaëis id contigisse literarum monumenta attestantur.

Quo-

13. Quorum quidem omnium hereses ac fanaticæ opinio-
nes jam pridem ex Ecclesia sunt explose, protrusa, eliminatae;
nè veneno illarum plurium animi inficerentur ac enecarentur.
14. Repulluit tamen ac revixit hoc nostro seculo, κακῶν
δογμάτων fertilissimo Florinianorum & Libertinorum heresis,
& patronos ac tutores nacta Calvinianos non flaccide equidem
sed luxuriosè jam propediem viret, floret, germinat.
15. Contra hanc igitur heresin, illiusq; modernos patronos
presentis hujus disputationis noſtre aciem instruemus ac dirige-
mus; sperantes certò victoriam nos Dei omnipotentis gratiā &
auxilio deportaturos.
16. Ne autem in infinitum hac noſtra excrescat ac protra-
hatur pugna, certos ipsi cancellos circumdabimus, 1; quæ reverâ
Calvinianorum de causâ peccati sententia, & quatenus illi
actiones hominum malas divine providentiae subjiciant, oſten-
ſuri: 2; opinionem ipsorum cùm argumenta contra illam propo-
nendo, tum fundamenta illius subvertendo, refutaturi: 3; ve-
ram ac orthodoxam noſtrarum Ecclesiarum de peccati causâ sen-
tentiam exposituri.
17. Ac primum quidem quod attinet magnam ſibi injuriam
fieri protestando clamitant Calviniani, quod audire cogantur ſe
ſtatuere ac docere; Deum eſſe efficientem peccati causam atq;
autorem: Deum peccata hominum velle, utq; fiant non ſolum
immutabiliter decernere, ſed etiam efficaciter procurare.
18. Sed protestationem hanc facto eſſe prorsus contrariam,
merumq; inanem fucum ad circumveniendo fallendosq; ſimi-
pliores compositum, ex proprijs ipsorum verbis intelligi &
evinci potest facilimè.
19. Vrſinus hunc in modum ſcribit: Providentia Dei non Tractat.
tantum ad omnes omnium creaturarum actiones & motus ex theolog.
tenditur; ſed etiam eſt decretum efficax, liberrimum & im-
mutabile

mutabile divina voluntatis, secundum quod omnia fiant; nec potest ea ad solam præscientiam & permissionem eventum & actionum restringi: Adeò enim evidenter & significanter voluit Deus exprimere & nobis inculcare interventum voluntatis & decreti & operationis sua, non tantum in conservandis creaturis, sed etiā ciendis & gubernandis omnibus singulorum motibus, ut etiam præcipere & mandare se dicat æterno decreto, & fræno providentiae suæ, quæ nunquam verbo præcepit, ac ne revelavit quidem facienti quod ea fieri velit.

Volum. 2. 20. Brevius hæc complectitur alibi, ubi expreſſe afferit; prævidentiam & voluntatem divinam efficere & cire malas actiones, sive actiones istas hominum, quæ propriè loquendo peccata sunt & dici solent.

21. Zwinglius in Serm. de provid. cap. 5. tæterrimas hasce evomuit blasphemias; Porro injustitiam in se nobis ostendere, Numen cum nulla ratione posset, ut, quod undiq; verum, bonum, sanctum naturâ sit, per creaturam injustitiae exemplum produxit: non quasi creatura illam sup marte produixerit, quæ nec est, nec vivit, nec operatur sine Numinе; sed quod Numen ipsum AVTOR est ejus, quod nobis est injustitia, illi vero nul latenus est. Et ibidem; Vnum igitur atq; idem facinus, puta adulterium aut homicidium, quantum Dei est autoris, motoris, impulsoris, opus est, crimen non est: quantum autem hominis est, crimen ac scelus est. Et paulo inferius; Movet Deus latronem ad occidendum etiam innocentem.

22. Calvinus scribit Diabolum & totam improborum cohortem non posse maleficium concipere & conceptum moliri, nisi quantum Deus mandarit: mandante autem Deo, cuius est armare illorum furorem, ad obsequia præstanta fræno cog. l. 1. Inst. c. 17. § 11. Homines efficere nisi arcane Dei nutu, nec quicquam

quicquam deliberando agitare, nisi quod ipse jam apud se decreverit, & arcanâ suâ directione constituat, l. eod. c. 18. § 1. Hominem justo Dei impulsu agere, quod sibi ipsi non licet § 4. Satanam Dei nutu ac imperio huc atq; illuc inflecti ad exsequenda ejus judicia & se non de universali Dei motione, unde creature omnes ut sustinentur, ita etiam efficaciam quidvis agendi ducent; sed de illa speciali actione tantum loqui, quæ in unoquog facinore apparet. l. 2. c. 4. § 2. Deum decreuisse ut suâ defecitione periret Adam; siquidem nobilissimam ex suis creaturis ambiguo fine non considererit. l. 3. c. 23. § 7. Deum ideo praescivisse, quem exitum esset homo habiturus, quia decreto suo ita ordinaverat, ibid. Hominem cadere Dei providentiâ sic ordinante § 8. Ex Dei ordinatione hominibus injici peccandi necessitatem, § 9.

23. Hos & plures alios elegantes flosculos licet decerpere ex anno illo Institutionam Calvinii horto. Quod si vero ulterius procederemus ad hortum libri de eternâ Dei Præstatione, eignos aliquantisper insinuabimus, pulchiores forsitan adhuc flosculos inveniemus: nimirum hosce; Arcano Dei consilio præordinatum fuisse hominis lapsum p. 905. fieri aliter non potuisse, quin homo laberetur p. 906. Non nisi Deo volente atq; ita ordinante Adamum cecidisse, sed & posteros perdidisse p. 916. A Domino procedere, quæ scelerate ab hominibus maleficia perpetrantur, ejusq; voluntatem primam rerum causam esse p. 946.

24. Patris & preceptoris vestigia insitit Theodorus Beza: In resp. ad Deus, inquit, hominem conditus ad gloriam tūm misericordiæ, tūm severitatis suæ declarandam, Adamum condidit ad imaginem suam, id est, sanctum ac innocentem. Cur nam id vero? Nempe quia bonus cum sit, non potest ab eo vitiosum quicquam creari: vitiosi autem sint oportet, tūm quorum constituit

stituit misereri, tūm etiam quos justē decrevit gloriæ sue causā condemnare. Ideo oportuit Adamum condī sanctum & innocentem: sed qui suā sponte & sine ullā Dei culpā vitiosus factus viam patefaceret, aeternis Dei consilijs, id est, tūm misericordia & tūm justitiae ipsius declarandæ. Oportuit ergo Deum quoq; hanc unicam viam sibi aperire, id est, Adami lapsum ordinare. Brevius hac contrahit in confessione sua cap. 3. artic. 6. & 8. ubi dicit; Hominem ad declarandam Dei cūm justitiam tūm misericordiam creatum esse: ideoq; illam oportuisse puritate & integritate suā excidere.

25. Ita ille in specie de Adami lapsu: in genere verò de omnibus peccatis actualibus statuit ac dicit, Dei efficacitatem, in omnibus que fiunt, intervenire sine ulla exceptio-

a In ead resp.
aphor. 18.
Præceden
tibus 17.
aphorif
mis.

ne^a: imo Deum esse causam primam omnium rerum que fiunt, & determinasse omnia ab aeterno ante omnem prævisionem determinationis secundarum causarum.

De Nat.
Dei fol.
736.

26. Ab his etiam non dissentit Zanchius. Fatemur, inquit, Dei ordinatione Adamum in peccatum fuisse lapsum. Quid enim opus est tergiversatione? Si Deus simpliciter non luisset illum peccare, non peccasset: quasi verò Deo invito aliquid fiat. Occasionem illi dedit peccandi, dum legem tulit, quam sciebat ipsum non servaturum. Creavit serpentem & Diabolum, qui Eum tentarent. Dedit ei uxorem, que illum alliceret. Denig; permisit eum suo arbitrio male uti. Quomodo dici potest Adamum esse lapsum in peccatum citra Dei ordinationem ac prædestinationem? Fatemur ergo factum fuisse Dei consilio & voluntate, ut Adamus lapsus sit.

27. Idem scribit; Vniversos homines eō fuisse ordinatos, ut permitterentur peccare: Deum destinasse reprobos ad hanc conditionem, ut non queant non varia admittere scelerā: ad peccatum, VT P E C C A T U M est, tam electos, quam reprobos fuisse

fuisse præordinatos: Deum ab omni aeternitate reprobos ad
privationem gratia, ad peccata, & ad pañas peccatorum (que
tria dicit consequi reprobationem fol. 720.) præordinasse a: imò a De Nat.
Deum non solum tradere hominum corda in flagitia permitten- Dei p. 722.
do, offendicula objiciendo, sed etiam interna actione im- & 620.
pellendo. b In Mischel.
p. 146.

28. Szegedinus paucis se expedit, & quod alij prolixius in- In Loc.
culcant, summatim complectitur afferendo: Deum mala com. fol.
agere sive operari etiam occasionaliter & effectivè, 233.
id est, non solum peccandi occasionem offerre & prabere; sed
quog. efficaciter procurare, ut mala fiant sive peccata commit-
tantur.

29. Eodem modo Amandus Polanus rem totam in pauca con- In sylloge
trahit. Adamus, inquit, lapsus est non fortuitò, sed secundum Thesi:
aeternum decretum Dei, juxta quod Adamus fecit, quod manus Theol.
Dei & consilium Dei definiverat ut fieret. par. 2. pag.
522. thec. 13.

30. Hisce plura conquirere ac consipire Calvinianorum te-
stimonia minime opus esse judicamus; cum illa, que adducta sunt,
adè clara & aperta sint, ut nemo non ex illis intelligere & col-
ligere queat, quænam revera sit ipsorum de causa peccati senten-
tia, quodq. illa non incommode quatuor istis comprehendendi possit
propositionibus, quæ sequuntur.

31. Prima est; Deus non solum permittit, sed etiam vult fieri;
quæcumq. fiant ab hominibus peccata.

32. Secunda; Deus non solum vult fieri, sed etiam ab aeterni-
tate decrevit, ut fierent quæcumq. fiant ab hominibus peccata,
idq. non prævisa determinatione voluntatis humana. Deum
enim non decernere quippiam, quia præscit futurum, sed præ-
scire futura, quia ipse decrevit, ut fierent.

33. Tertia; Deus non solum ab aeternitate decrevit ut fierent,
quæcumq. fiant ab hominibus peccata; sed etiam imperat Satanae,
B & impro-

& improbis hominibus, ut concipient maleficia, eosq; ad hoc inclinat & impellit.

34. Quarta; Deus non solum imperat Satana eumq; inclinat & impellit, ut homines ad peccandum inducat; sed etiam ipse operatur in mentibus hominum impiorum, & per eos, ut per sua instrumenta, ipse tanquam prima causa facit ea omnia, quae respectu hominum dicuntur & reverâ sunt peccata.

35. Posita verò jam hac Calvinianorum sententiâ quis non videt recte & ov. oyskōs ex illa colligi & inferri posse; Deum peccare: Deum esse causam & autorem peccati; quamvis id ipsi, ne invidiam tam horribilis blasphemie subeant, nec palam affirmare audeant, & non raro disertis verbis inficiantur?

36. Syllogismus talis esse potest: Quo volente, ordinante decernente, imperante, impellente, efficaciter procurante fit aliquid; is primaria est operis illius causa, primarius autor. At Deo volente, ordinante, decernente, imperante, impellente, efficaciter procurante fiunt peccata. Ergo Deus primaria est peccatorum causa, primarius autor. Propositione est per se satis manifesta, nec ulla probatione indiget: siquidem etiam ipsa ratio dicit at magis esse operis alicujus causam illum, qui alium ad id incitat & efficaciter cogit, quam qui incitatur & cogitur. Assumptionem approbant & acceptant, imò totidem fere verbis in Scriptis suis ponunt Calviniani ipsi. Quâ igitur ratione, & quâ fronte nugando negant conclusionem?

37. Rursum ita colligimus; Quaecunq; præscit Deus, ideo præscit, quia decreto suo ita futura ordinavit. Thes. 22. Atqui aλεξιν actionum, sive peccatum quatenus peccatum, præscit Deus. Ergo aλεξιν actionum decreto suo ita futuram ordinavit. Quod si autem Deus aλεξιν actionum decreto suo ordinavit ita futuram; quomodo quoero dici potest, illum non esse primarium peccati quatenus peccati autorem, causamq; primariam?

Hic

38. Hic se irretitos planè & blasphemie convictos sentiunt
Calviniani: ideoq; rimulas quasdam clabendi effugiendiq; cu-
riose scruntantur, sed certe irrito conatu, operaq; simul ac olei
cum damno.

39. Adhibent subtilem hanc distinctiunculam ac dicunt; malas hominum actiones esse peccata, & non esse peccata. Non esse peccata, quatenus Deo volente, mandante, impellente, effractiter ergo procurante fiunt. Esse peccata quatenus oriuntur ac procedunt à liberâ hominis voluntate & electione.

40. Quod ne mirum imò absurdum videatur, tres subjiciunt rationes, cur dicta ista & actiones respectu Dei motoris & impulsoris non sint, respectu autem hominis voluntatem & mandatum Dei ex sequentis sint peccata, quas ordine libet expendere.

41. Prima hac est: Natura humana primævo vitio per pri-
mos nostros parentes introducto tota est corrupta, tota deprava-
ta. Dei verò natura prorsus est integra, prorsus perfecta, pror-
sus immaculata. Peccata igitur sunt actiones diuersorum respectu
tantum corrupti hominis, non respectu perfecti Dei.

42. Verum hoc ratio minime militat, minimeq; subsistere potest. Ut ut enim aliquid valeat & locum quendam inveniat, quod tamen statui nequit, in peccatis ortis; in primi certe peccati consideratione, quod omnium reliquorum fons est & scaturigo, nihil prorsus valoris habet.

43. Nam peccatum primum primi hominis, ut & peccatum primum Satana, non traxit originem ex aliqua praexistenti natura corruptione & depravatione; siquidem homo in primo suo statu, ante primum illud peccatum, quod esu pomi ex arbore interdicta decerpti commisit, fuit integer, fuit sanctus & justus, fuit ad imaginem Dei conditus.

44. Quod si autem in isto primo statu concreata homini
B 2 justitia

justitia & sanctitas non excusat hominem, quod minus recte dicatur edendo pomum vere & propriè peccasse; querimus à Calvinianis quomodo Deum sua excusare queat justitia & sanctitas, quod minus recte dicatur eum poni decernendo, principiendo, efficaciterque procurando peccati labe se contaminasse?

45. Certè si non valet ratiocinatio hæc; Homo edendo pomum non peccavit; quia fuit justus & sanctus; utique nec illa valere poterit; Deus pomi eum ordinando, decernendo, occasionaliter & efficaciter procurando, immo hominem interna quadam motione ad illum impellendo non peccavit; quia est justus & sanctus.

46. Ex his igitur cum satis patet futilitas prime rationis, addunt secundam, in qua plus fiducie collocant; Deum ideo non peccare propriè loquendo, quando homines ad flagitia impellit, vel ea jubet, aut procurat, aut per eos tanquam sua instrumenta perficit; quia bonum sibi Deus propositum habet finem; ideo volens homines peccare, ut sint quos justè damnet, quorumque liberaliter misereatur, atque ita iustitiae ac misericordiae sua gloriam innotescere faciat: Hominem verò peccare, quando imperante, impellente, & movente Deo actiones illicitas & aviles exerit acque exerceat; siquidem malum finem spectant, & non nisi immoderatam estuantis sua libidinis stim extingue satagunt.

47. Ast & hæc Calvinianorum ratio valde debilis & infirma est, nulloque negotio solidissimè refutari, penitusque subverti potest.

Rom. 3,8. 48. Nam primò si non sunt facienda mala, ut eveniant bona, utique bona intentio & finis bonus animo conceptus efficere haud potest, ut liceat ista peragere, que per se, intrinsecus, & ex objecto mala sunt.

Schaul

49. Schaul bono fine bonaq; intentione reservabat prestantissimam præde ab Amalekitis deportatae partem, nimirum ut Deo sacrificium offerretur: sed quia Deus diserte præceperat ipsi, ut omnia omnino intentioni daret, bona ista intentio excusare Schaulem non potuit.

1. Sam. 18.
19.

50. Anne bona erat intentio, finis erat bonus, similem fieri Deo, scientiamq; boni & mali acquirere? Ideonē vero nostri excusantur Protoplasti, quod hanc male fecerint, quando pomum de arbore vetitā decerpserunt, decerpsumq; comederunt?

51. Hanc certe excusaberis, si dixeris te eleemosynæ largiter distribuendæ causā furtum commisissé: te alium quendam hominem privatā tuā autoritate, ne vel exemplo vel facto alijs noceret, interfecisse: te suscipienda proliis & propagandi generis humani causā adulterium vel fornicationem commisissé; licet quidem tibi bonum videaris finem spectasse.

52. Quod si igitur hominis furtum, homicidium, adulterium, scortatio, licet bonā intentione & bono fine facta videantur esse & sint, peccata tamen sunt, nec non homo talium scelerum autor justissimè punitur; Deum certè eorundem operum autorem, & quidem primarium, sola intentio bona, solumq; boni finis præpositum excusare minimè poterit.

53. Deinde quia in prævis actionibus voluntatis delinquentis finis non est ipsum peccatum, ipsa avocia; sed aliquid ex ea ebulliens ac profluens; nempe vel bonum ipsum vel specie bonum, ex Calvinianorum dogmate hoc sequitur sua sponte absurdum; Nulla fere esse & committi ab hominibus peccata. Si enim nihil est malum, cuius finis & intentio bona est; & vero homines, quacunq; fere faciunt, alicuius boni gratiā faciunt, sequitur uti q; homines non peccare.

54. Tertiò Calviniani ipsi statuant alterutrum horum necesse est; Malam hominis intentionem aut esse à Deo, aut non esse.

B 3

esse.

esse. Si illud statuunt, aperte fatentur Deum esse peccati auctorem: siquidem is, qui autor est mala intentionis, non potest non esse autor peccati, quod à mala intentione hoc habet, ut peccatum sit proprietas nominetur. Si hoc statuunt, implicant se contradictionis tricis, & secum ipsi pugnant. Cum enim ex ipsorum sententia Deus homines ad peccatum impellat, & verò peccatum non est sine malā intentione, sequitur profecto Deum homines ad malam etiam intentionem impellere.

55. Sic quoq; si Deus ab aeterno à priori decrevit cum misericordia, tūm justitiae sua declarande gratiā, ut homo peccaret & peccatum non est peccatum, nisi malā intentione fiat, necessariò sequitur Deum ab aeterno voluisse ac decreuisse, ut homo malā intentione operaretur, ac ita se concreato perfectionis dono ipse exueret ac spoliaret. Et quia decretum Dei non debet esse incertum, nec ab eventu pendere fortuito, oportuit omnino Deum, ut homo malā intentione actiones prohibitas exerceret, efficaciter procurare; ac ita non minus intentionis male, quam ipsius operis autorem esse.

56. Tertium uero φύσεω Calvinianorum est; Deum ideo non peccare, et si eadem, que impi faciant, in illis efficaciter operetur; quia est ex lege & nullo mandato obligatur. hominem autem peccare, quia legi est astrictus & subiectus.

De provid.
cap. 6.

57. Vnde Zwinglius; Quod Deus, inquit, facit, non est peccatum, quia non est contra legem; illi enim non est lex posita, ne potest justo: nam justo non ponitur lex juxta Pauli sententiam. Vnum igitur atq; idem facinus, puta adulterium aut homicidium, quantum Dei est autoris, motoris & impulsoris, opus est, crimen non est; quantum autem hominis est, crimen ac scelus est. Ille enim lege non tenetur, hic autem lege iam damsur.

58. Simile illustrationis causa adhibent hujusmodi: Paterfamilias

familias liberis, servis & ancillis suis hanc promulgat & prescribit legem; Lecythum mellis nemo tangito: qui verò tetigerit, vapulato: Si jam quisquam ex liberis vel servis Lecythum tangat, ille utiq; peccat & delinquit: ipse verò Paterfamilias sicuties illum tangat, non tamen delinquit. Ratio diversitatis est, quia lex ad istos spectat; ad hunc verò minime. Eodem modo accidit in Deo & homine ut ille non peccet, hic peccet, licet idem opus peragant.

59. Verum enim verò hac ipsorum doctrina multis est absurditatibus & contradictionibus implicata, adeoq; tota falsa & impia, ut ad oculum demonstrari potest.

60. Primo enim quatenus Deus homini legem prescribit de non perpetrando adulterio aut homicidio, suam etiam ipse voluntatem certis limitibus circumscribit, ut non possit velle, voluntate approbante & mandante, ab ullo hominum committi adulterium aut homicidium, nisi proprie sua velit contrariari Legi. Si enim Deus adulterium, quatenus adulterium, scripsit prohibuit; ut i^g salvâ illâ lege non potest ipse cogere & impellere hominem, in i^g illo efficaciter operari, ut adulterij labe se polluat.

61. Tulerit Paterfamilias hanc legem suis liberis & servis; Lecythum mellis nemo tangito; qui verò tetigerit vapulato. Si jam ipse Paterfamilias Lecythum mellis tangat, non quidem delinquit vel male agit: Verum an recte faciat si unum ex liberis, lege illâ adhuc stante & nondum abrogata, cogat & impellat lecythum mellis tangere, ut ita nanciscatur occasionem filium suum duris tractandi verberibus, non immerito dubitatur. Et existimamus nos nulla ratione id probari in Patrefamilias posse; siquidem ipsa legis promulgatione sibi hanc prescidiisse videatur licentiam ut recte possit suos liberos impellere & cogere ad tangendum mellis lecythum.

Et

62. Et quid quo^so absurdius dici potest; quam posse Deum homini serio prohibere adulterium, & tamen non peccare sed recte & justè facere, quando hominem ad adulterium committendum cogit & impellit, ino ut adulterium homo committat efficaciter procurat?

63. Annè enim illa coactio, ille impulsus, illa officia procuratio instar mandati est? Est certè. Quid igitur? Annè Deus contraria mandare; ac ita sibi ipse adversari, se ipse negare potest? Non videtur. Quia igitur dementata insania est asserere; Deum mandare verbis quidem ijsq; serijs; Non mæchaberis; factio autem; Mæchaberis?

64. Vnde & aliud absurdum luxuriosè admodum progerminat; nimirum adulterium ab homine commissum esse peccatum, & non esse peccatum. Esse peccatum; quatenus homo Deo verbis præcipienti, Non mæchaberis; reluctatur: non esse peccatum, quatenus Deo, ut mæchetur; cogenti, impellenti, efficaciter q; procuranti morem gerit ac cooperatur. Hujusmodi enim obedientia nequaquam potest dici peccatum.

65. Deinde alio etiam modo sibi ipsi in hoc effugio contradicunt Calviniani. Quando enim in articulo de persona Christi negant; Deum posse unum corpus eodem temporis momento in pluribus locis sistere; rationem addunt hanc; Quia Deus ipsa creatione sibi legem imposuit, quā constrictus rebus salvis eas mutare non potest; siquidem quedam rebus adeò sint essentialia quæ cum mutatione interitum secum trahant. Quod si verum est, ut ipsi putant, cur hic adeò pertinaciter defendant, Deum esse exlegem; Deum nullâ lege obstringi?

66. Certè si creatione dicto modo Deus sibi imposuit legem de non permittandâ rerum naturâ; utiq; eodem modo dici potest legis hujus; Non mæchaberis; promulgatione sibi legem imposuisse de non cogendo & impellendo efficaciter q; movendo homine ad adulterium committendum.

Omni-

67. Omnipotens enim Deus cum homini agendi metas prescribit, sibi quoque ipsi terminum presagit per hominem agendi, efficaciterque operandi; ita ut quod hominem agere serio non vult, id quoque ipse, salvâ quidem suâ lege, per hominem agere efficaciterque operari non posset: Seipsum enim negare nequaquam potest.

68. Tertio quid ineptum magis est magisque ridiculum, quam ita argutari; justo non est lex posita: Deus est justus: Ergo ^{1. Tim. 1. 9.} Deo non est lex posita. Ac proinde Deus est exlex; & haud male agit, haud peccat, quando quid peragit efficaciterque operatur in homine & per hominem, quod lege est prohibitum.

69. Quis enim non videt ambiguitatem esse in terminis, Adversariosque pueriliter in hac sophistificatione ludere? Apostolus dicit; justo non est lex posita; non isto sane sensu, quod justus, licet maximè contra legis præscriptum agat, tamen non peccet, sed sit omnino excusatus: alias male diceret Scriptura, etiam justum in die septies cadere; nec non brutum fulmen & inane terriculamentum esset illa adversus justum comminatio quæ Ezech. 18, 14 extat; sed hoc sensu, quod justus ad legis normam mores suos ultrò ac sponte componit; vel quod adversus justum non sit lex posita, ut cum premat, urgeat, adque condemnationem obliget.

70. Deo vero non esse legem positam, sive Deum esse exlegem dicunt Calviniani hoc sensu, quod Deo licet quidvis agere legibus prohibitum, quodque Deus non injuste agat, non peccet; licet hominem cogat & impellat ad adulterium committendum, immo in homine & per hominem adulterium efficaciter operetur atque procuret.

71. Vnde quilibet potest colligere nullo negotio, quam incepti sint sophistæ, quam perversi Scripturæ interpretes nostri Calviniani, qui dictum Apostoli ad thema suum probandum adhibent,

C

quod

quod tamen in vero & genuino suo sensu nullam prorsus communionem & affectionem cum illo habet.

72. Deniq^{ue} ad tertium illud effugium hoc quoq^{ue} respondere possumus; Deo, qui omnium summus est, à nullo quidem superiori actionum legem praescribi posse; ideoq^{ue}, hoc sensu ex legem illum esse; sed sapientiam propriam ipsi esse legem, & quod nobis est lex, ei esse ingenium & naturam. Naturali enim sapientia & justitia ab omni erroris lapsu Deus retrahitur, & sicut nos lege, ita ille, tanquam lege, genio & natura vivit. Ac proinde non minus tenetur Deus, non repugnare ingenio, sapientiae, & naturae sua; quam homines tenentur non repugnare legi divine.

73. Quin imò cùm lex Mosaica ad amissim cum Dei aeternâ sapientiâ naturali & justitiâ consentiat, ac immutabilis istius divine justitiae expressa imago sit; non ut i^g Deus prorsus ex lex est, etiam respectu legis Mosaicae; sed omnino tenetur ei non repugnare, non minimum quippiam contra illam decernere, mandare, efficaciterq^{ue} procurare. Hoc enim si fecerit, sibi ipse repugnabit, imò se ipse negabit, quod nullo modo fieri potest.

74. At q^{ue} ex his quidem cuivis patere arbitramur apertissimè allata jam & examinata tria Calvinianorum νέον Φύσεως Deum minimè excusare, minimè à culpa & crimen semovere; ideoq^{ue} adhuc sequi ex sententiâ Calvinianorum; Deum esse lapsus Adami & reliquorum peccatorum, etiam quatenus sunt peccata primarium autorem, causamq^{ue} primam ac principiam.

75. Hoc igitur ostendo progrediemur jam ad secundum disputationis caput, & sententiam Calvinianorum refutare ac falsitatis convincere conabimur, primo argumentis eam oppugnando, & deinde fulcimenta ac fundamenta ejus funditus diruendo.

76. Argumenta sententiam Calvinianorum oppugnantia partim

partim ex sacrarum literarum penu de promemus, partim vero
e ratione deducemus.

77. Primi generis primum ex illis Scriptura locis desume-
mus, qui expresse indicant, Deum non velle vel approbare, sed
odisse peccatum; ut sunt Psal. 5, 5. Non es Deus fortis, qui de-
lectetur improbitate: non est commoraturum apud te malum.
Non consistunt insani in regione oculorum tuorum: odisti omnes
qui operam dant iniquitati. Perditurus es loquacioris men-
daciū: virum sanguinolentum & dolosum abominatur Ieho-
va Esa. 65, 12. Fecisti quod malum videtur in oculis meis, &
id quo non delector (quod non volui) elegisti. Sap. 14, 9. Ex
& quo sunt exosa Deo, & qui facit impie & impietas ipsius.
Zach. 8, 17. Alter malum alterius ne cogitetis in animo vestro,
& juramentum falsum ne ametis; nam hec omnia sunt que odi,
dictum Iehovae.

78. Hinc ita colligimus; Quicquid Deus facit, id non odit,
sed vult, approbat eoꝝ delectatur: Sap. 11, 25. Nihil odisti eo-
rum, quæ fecisti. Atqui Deus odit peccatum, nec illud vult vel
approbat, illoꝝ minimè delectatur. Ergo Deus uon facit pecca-
tum. Et per consequens falsum est Deo decernente, efficaciter
procurante & operante fieri peccata: falsum est, Deum esse cau-
sam & autorem peccati.

79. Et imprimis quidem in hac primâ locorum Scriptura
classe nota sunt illa verba; Id quo non delector, sive quod non
volui, elegisti. Luculenter enim ostendunt electione hu-
mana committi peccata; non voluntate, ordinatione, decreto
& impulsione divinâ: Deumq; id minimè velle, quod eligunt
imp̄j.

80. Ad hujus argumenti vim elevandam ac infringendam
Calviniani adhibent quandam subtilem distinctionem. Deus,
inquit, non vult peccata fieri eā voluntate, quæ nobis est sacro

in codice manifestata, quæ voluntas signi aliâs dici solet: ex de
hac voluntate testimonia jam citata omnia & singula sunt acci-
pienda. Interim tamen aliâ quadam voluntate, quæ voluntas
benelaciti usitate dicitur, omnino vult Deus ut homines pec-
cent; siquidem alioqui non assequeretur finem sibi propositum
gloriae in peccati vel condonatione vel punitione declarande.

81. Atq; hec quidem inter voluntatem signi & benelaciti
distinctio, unicum ferè est Calvinianorum asylum, sub quod quo-
ties à nostræ Ecclesie Doctribus oppugnantur, in extremas an-
gustias coguntur, ac tantum non in fugam convertuntur, refu-
giunt, sperantes se tutò & securè in illo latitare posse; ideo q;
non erit abs re illam ipsam aliquantò attentius considerare, ali-
quantò studiosius convellere ac dissipare.

82. Primo igitur dum homines isti dicunt, voluntatem Dei
in Scripturis patefactam, sive voluntatem signi, eam esse, quâ
Deus prohibet peccata, non vult nec approbat sed odit peccata:
liquidâ ostendunt, alteram illam voluntatem, qua Deus non odit
nec improbat, sed vult & approbat peccata, non esse in Scripturâ
Sacrâ à S.S. patefactam; sed q; eam non ex Scripturis deduxisse,
sed ex proprio cerebro confinxisse: nec non de re prorsus ignotâ
se judicare, ideoq; quid dicant, quid judicent ignorare. Quapropter
quidem nos meritò illam distinctionem improbamus ac
rejecimus.

83. Deinde velle peccatum & non velle peccatum sunt con-
traria: cum tamen in Deo nequeant contraria voluntates esse?
Si igitur Deus vult peccata, utiq; non est in ea voluntas, que no-
lit peccata. Si non est in Deo voluntas, que nolit peccatum, utiq;
voluntas declarata in Scripturis sive voluntas signi, nihil aliud
est, quam voluntas mentiendi. Nam si mendacium est, uti est,
significare, & quidem seris verbis, te nolle quod maximè velis,
quid quo se aliud est, velle peccata, & tamen velle indicare ac
decla-

declarare se nolle peccata, nisi velle mentiri? Ac proinde statu-
endum erit, aut Deum hypocritam in modo mendacem esse, quando
apertis & scripsis verbis indicat & significat se nolle peccatum,
cum tamen interim nihil magis quam peccatum velit; quod di-
ctu absurdum & blasphemum; aut Calvinianos fumum vendere
alijs & turpiter errare, quando Deum voluntate beneplaciti
peccata velle effutint.

84. Secunda classis testimoniorum Scripturae continet illa lo-
ca, quibus disertè assertur; Peccatum non esse à Deo, sed, quic-
quid Deus fecit aut facit, esse valde honorum. Gen. 1, 31. Tum in-
spexit Deus quicquid fecerat: ecce autem bonum erat valde.
Deut. 32, 4. Dei opus est perfectum: omnes via ejus judicium:
Deus veritas, & non est iniquitas in eo, justus & rectus est.
Habac. 1, 13. Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & re-
spicere ad iniquitatem non poteris. 1. Joh. 1, 5. Deus lux est &
tenebrae non sunt in illo ulla. 1. Joh. 2, 16. Qui quid est in mun-
do, cupiditas carnis & libido oculorum & fastus vita, non est ex
Patre, sed ex mundo est.

85. Hinc ita inferimus; Omne opus Dei est bonum & per-
fectum. Peccatum non est bonum & perfectum: Ergo pecca-
tum non est opus Dei. Et per consequens, falsissime dicitur,
Deum, in quo nullae sunt tenebrae, operari efficaciter in impijs
flagitia ac scelera, vel efficaciter procurare, ut impij flagitia ac
scelera perpetrent atque committant.

86. Et notandum hic diligenter est, quod Johannes dicit;
Non ex Patre, sed ex mundo esse peccata. Eo ipso
enim indicat, Deum prorsus esse à peccati productione removen-
dum, minimeque concusam principalem, qua per instrumenta
agit, causam primam qua per secundas operetur, constituendum.
Alias enim dicere debuisset; Ex Patre; (ut concusa principali)
& ex mundo (ceu concusa minus principali; nimisrum instru-
mentali) est peccatum.

87. Tertio Scriptura Sacra aperie docet; Deum non manda-
re sive precipere peccata, nec homines incitare multoq[ue] minus
compellere ad peccandum. Jerem. 19, 5. AEdificarunt excel-
sa Bahalis: quod non praeceperam, neq[ue] eloquutus fueram, neq[ue]
venerat in animum mihi. Eccles. 15, 11; 12. Ne dicas per Do-
minum factum est, ut desicerem: nam qua odio habet, ea non fa-
ceres. Ne dicas, ipse finxit me: nam non habet opus viro pec-
catore. v. 20. Non praecepit, ut fatias impiè: nec dedit cuiquam
peccandi licentiam. Iac. 1, 13. Nemo cum tentatur dicat, à Deo
tentor: nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam ten-
tat. Sed unusquisq[ue] tentatur, dum à propria cupiditate abstra-
hitur & inescatur.

88. Hæc testimonia adeò sunt illustria & luculenta, adeoq[ue]
directè dogmati Calvinianorum adversantur & obloquuntur,
ut Sp. S. videatur singulari industria voluisse illa ponere, & ho-
minum istorum errori opponere, eumq[ue] illis confutare. Quod
quidem clarius apparebit, si paulò pleniorem antithesin insti-
tuerimus.

89. Calviniani dicunt Deum mandare & precipere impijs
ut maleficia concipient; idq[ue] ita efficaciter, ut non queant relu-
ctari, sed jubenti Deo parere cogantur. Spiritus vero Sanctus
hic disertè pronunciat; Deum non precipere cuiquam ut im-
piè agat, idola sibi fabricet, aliaq[ue] scelera ac flagitia perpetret.

90. Calviniani se distinctiuncula istius inter voluntatem
signi & beneplaciti umbellâ palliare conantur. Spiritus vero
Sanctus illam distinctionem falsitatis coarguit, ejus fucatum
colorem ostendit, & neutrâ voluntate Deum peccata precipi-
re asserit, his verbis; Non loquutus fueram (nota voluntatem
signi) neq[ue] in animum (nota voluntatem beneplaciti) mihi
venerat.

91. Calviniani dicunt hominem ad id esse conditum ut pec-
cat,

cet, per q̄ Deum fieri quod peccat. Spiritus verò Sanctus serio
vetat, ne culpam peccatorum nostrorum in Deum rejiciamus,
siquidem per illum non fiat quod deficimus; nec ille nos singat
peccatores.

92. Calviniani dicunt & docent omnino oportuisse Deum
ordinare efficaciter q̄ procurare ut protoplasti nostri peccarent,
& peccando nos omnes peccatores constituerent; siquidem alias
non potuisset gloriam sua justitia puniendo, & misericordia
condonando peccatum patefacere. Spiritus verò Sanctus catego-
ricè affirmit; Deum non habere opus viro peccatore.

93. Calviniani statuunt Deum tentare homines & solicitare
ad malum perpetrandum. Spiritus verò Sanctus contrarium
docet asserendo, Deum, ut ipse tentari malis non solet, ita nem-
inem tentare. Vbi iterum diligenter notandus est diversorum
usus; in quorum protasi, unde non sit, in apodosi verò unde sit
tentatio ad malum ostenditur, ac ita, Deum nullo modo esse ten-
tationum malarum & pernicioſarum causam, indicatur.

94. Ad locum Jacobi, reliquos secco pede transilientes, re-
ſpondent dupliciter Calviniani. Quidam enim dicunt duplex
esse temptationum genus, siquidem alia sunt externa, que extrin-
secus adhibentur; alia interne, que intus in animo suggerun-
tur: & de posteriori genere Jacobi verba accipienda esse scripti-
tant. Alij verò utraq; temptationum genere Deum homines
tentare concedentes, addunt hanc limitationem; Deum non
tentare quenquam, ita ut homo sit excusabilis: siquidem Deus
in homine materiam & quasi seminarium temptationum in-
venit.

95. Verū ne ira harum responsionum, si ad lydium veri-
tatis lapidem aliquantò examinentur exactius, subsistere poterit.

96. Non prima: 1, quia Iacobus non negat speciem tenta-
tionis ad malum, sed generaliter omnem: cui generalitati far-
vet

vet tacita & implicata comparatio; que ita explicari plenè potest; Quemadmodum Deus (εστι απέραντος και νομού) malis tentari nec solet nec potest; ita etiam ipse ad malum neminem tentat: jam autem Deus nec internè nec externè tentatur malis; ergo etiam Deus neutro modo hominem ad malum tentat: 2, quia Beza in hunc versiculum commentans ingenue fatetur de temptationibus illam agere internis; postquam præcedentes versus de externis egerint.

97. Non secunda. Nam Iacobus absolute & simpliciter pronuntiat, à Deo neminem tentari. Et certè non potest rectè dici non tentare is, qui revera tentat, sicut non reddit excusabilem eum, qui tentatur. Alioquin & ipse Satan dici posset neminem tentare, cum ipse quoq; homines, quos tentat, non reddit excusabiles: cumq; ipse non sit origo mali, sed in ipsis hominibus materiam & quasi seminariū temptationum inveniat.

98. Quartò Scriptura sacra docet Deum & serio prohibere & severè punire peccata, Gen. 2, 17. Ex arbore scientia boni & mali non comedes: nam in die quo comederis ex ea moriendo morieris. Deut. 4, 23. Cavete vobis ne forte oblivia camini pacti i. Iehovae Dei vestri, quod pepergit vobiscum, & faciatis vobis sculptrile, aut imaginem cujuscunq; rei: sicut precepit tibi Iehova. Deus tuus. Nam Iehova Deus tuus ignis consumens est, Deus zelotes. Quum genueris filios & senueritis in terra illa; corruperitis autem vos & malum feceritis in oculis Iehovae Dei vestri irritando illum; Testor contra vos hodie cælum & terram, quod percundo peribitis citè terra, & disperdendo disperdemini. Psal. 73, 27. Ecce longinqui à te pereunt: exscindis quicunq; adulterando deficit à te. Huc referenda; totum cap. 20. Exodi: totum cap. 5. Deuteronomij: omnis generis comminationes & pœnarum gravissimarum prædictiones passim in Prophetarum Scriptis occurrentes: & exempla illustria severi judicij

dicyū, quo s̄epiū Deus in impios & rebelles suos subditos animadvertis.

99. Colligimus verò ex hujuscē generis dictis & exemplis talem in modum: Quod quis ipse decernit, ordinat, mandat, operatur, efficaciter q̄, ut fiat procurat, illud is non potest dici serio prohibere: aliās sibi ipsi adversaretur, immo contrarias in se esse voluntates testaretnr. Atqui Deus serio prohibet omnis generis peccata & transgressiones: Ergo Deus non decernit, ordinat, mandat, operatur, efficaciter q̄, procurat peccata & transgressiones. Item: Quod quis ipse alijs mandat, inq̄, illis efficaciter operatur, id non potest justè in illis punire. Atqui Deus justè punit peccata in homine: Ergo Deus peccata homini non mandat, nec in eo efficaciter operatur.

100. Et certè magna impietas, & enormis blasphemia est, dicere ac dicere à Deo puniri homines; quia faciunt & quando faciunt ea, qua Deus ipse cogit, ut faciant. Neḡ, etiam ullā ratione fieri potest, ut Deus velit homines peccare, eosq; ad peccatum incitet & impellat; cùm ipse cupiat eradicari malitiam, & ideo peccata prohibeat ac puniat: cùm q̄ ipse Filius Dei venerit, ut tollat peccata mundi, ut dissolvat opera Diaboli, ut destruat corpus peccati.

101. Quinta deniq; & ultima classis testimoniorum Calviniano dogmati adversantium complectitur illa Scriptura & dicta, que docent, peccatum esse creatura deficientis proprium, ab eāq; originem traxisse, ideoq; nullo modo in creatorem referri posse. Sap. 2, 23. Deus creavit hominem ad immortalitatem, & imaginem proprie similitudinis fecit eum. Invidiā autem Diaboli mors intravit in mundū, eamq; experιuntur, qui sunt partium illius Rom. 5, 12. Per unum hominem peccatum introivit in mundum. Job. 8, 44. Diabolus fuit homicida à principio, & in veritate non perstigit: nam non est veritas in eo, quotiescumq;

D

loquitur

loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater mendacij. Ose. 13, 9. Perditio tua ex te est Israel; tantummodo in me auxilium tuum. 1. Joh. 3, 8. Qui committit peccatum ex Diabolo est, quoniam jam inde à principio Diabolus peccat.

102. Hec & similia Scriptura loca luculenter ostendunt; Peccatum non à Creatore Deo, sed à creaturis diabolo & homine originem suam traxisse, quarum PROPRIVM est mentiri, aliaq[ue] peccata committere. Et si, qui committit peccatum, ex Diabolo est (non quoad essentiam, sed quatenus peccator est) utiq[ue] homo peccator, non potest imputare & ascribere Deo, quod peccator est.

103. Imprimis autem Osee verba sunt diligenter attendenda. Illis enim haud obscurè significatur, non esse alium, qui possit auxiliari humano generi jam perduto, præter Deum; & in Deo nihil aliud esse nisi auxilium; proinde non tentationem, nec impulsionem ad peccatum, nec ullam ruinæ & perditionis causam, nec deniq[ue] quidvis aliud quod auxilio sit contrarium. Ut sensus sit; Ex te, Isræl, perditio; ex me non perditio, sed tantummodo salus & auxilium.

104. Respondent quidem ad hunc locum Calviniani, originem mali esse in homine, propter naturæ corruptionem; & hoc significari illo Propheta testimonio; sed parum efficiunt. Nam primum Adami peccatum non habuit originem ex naturæ corruptione; sed ipsum est, quod naturam corruptit. Aut igitur de Adamo dici non poterit; Perditio tua ex te est; quod absurdum: aut illa Calvinianorum responsio lubrica est & falsa.

105. Hisce quinq[ue] testimoniorum divinorum classibus, aliquot jam subiectere rationes. Quarum prima haec esto: Si Deus effectivè homines seducit, inducat, & ad peccata committenda cogit, nec non flagitia, & scelera in illis efficaciter opera-

operatur; utiq_z recte adulter, homicida, incestuosus, fur, blasphemus &c. dicitur atq_z appellabitur. Sed consequens est absurdum & impium: Ergo & antecedens. Propositionis connexio probatur: 1; quia juxta conjugatorum legem actio actori suum imponit nomen: sive actor ab actione, cuius primarius est autor, denominatur; 2; quia etiam jure Civili non tam, qui flagitium ipse committit; quam qui committentem eo quovis modo impellit, idq_z mandat & imperat, ejusdem reus peragitur: & quod quis facit per alium per se facere judicatur.

106. Secunda; Quicquid vult homo, illud aut justè vult, aut injustè: justè, quando vult ea, qua Deus vult illum velle: Injustè, quando vult ea, qua Deus non vult illum velle. Atqui homo vult peccatum: Ergo illud vel justè vult vel injustè. Non justè; alias minimè delinqueret, inq_z pñnam minime incurret. Si igitur injustè homo vult peccatum, Deus utiq_z non vult illum peccatum velle; quod adversatur Calvinianis: vel si vult illum peccatum velle; vult illum velle id, quod non vult eum velle; qua est manifesta contradic^tio. Vnde sequitur non modo Deum non velle hominem peccare; sed ne quidem ullà ratione posse id velle: ideoq_z nec hortando, nec imperando, nec impellen- do, nec efficaciter procurando peccati autorem esse.

107. Tertia; Quicquid est perfectè bonum & immutabili- ter bonum, id ex se & per se non potest esse causa mali: Qualis enim est causa, talis & effectus ejus proprius. Atqui Deus est perfectè bonus & immutabiliter bonus. Ergo ex se & per se non potest esse causa mali. Ergo quoq_z non potest velle, decer- nere, ordinare, mandare, operari, efficaciter procurare peccatum: hac enim omnia & singula sunt motus & actus mali, quales à causa perfectè bona & immutabiliter bona proficiunt nequeunt.

108. Quarta; Quicquid non est verum bonum illud non potest Deus velle. Atqui peccatum non est verum bonum. Ergo

D 2

Deus

Deus peccatum non potest velle. Ratio & illustratio propositionis; ut verum est proprium objectum intellectus; ita bonum per se objectum est voluntatis. Et Aristot. l.3. Eth. c. 4. docet; voluntatem tantum esse boni, vel veri vel apparentis; hoc est, Subjectū occupans voluntatis esse bonum, sive id revera bonum sit, sive tantum nobis bonum videatur & appareat. Solum enim bonum appetimus, & non malum sub ratione mali. jam vero quoties bonum apparentis volumus & appetimus, ex errore judicij & obfuscatione rationis id volumus & appetimus; adeoq; id volendo & appetendo deficimus. Deus igitur cum omnis erroris sit expers, ac deficere minimè queat; ipseq; inter verum & apparentis bonum discernere accuratissime posset; non utiq; dici potest; Deum aliquid velle quod non est revera bonum. Si enim errare potest Deus, non est summa & infinita sapientia; ac proinde non Deus: si deficere potest, non est summum & infinitum Ens; ac proinde nec Deus.

109. Quinta; Deus est summum bonum sive ipsum bonum; Peccatum est summum malum sive ipsum malum. Summum vero bonum & summum malum sunt contraria. Sed constat contraria nec ex se mutuo fieri; nisi forsitan per corruptionem & alterationem; & alterum eorum agere in alterum non producendi ac constituendi, sed destruendi atq; extirpandi causa. Sequitur ergo; Deum non esse causam peccati: peccatum Deo valente, mandante, operante non fieri. Nam si peccatum est a Deo, utiq; aut ab illo patiente aut agente. Non patiente; alias sequeretur Deum esse corruptum & alteratum; quod absurdum; cum sit immutabilis: Nec agente; quia non agit in peccatum nisi destruendi & extirpandi gratia.

110. Hisce paucis rationibus hac quidem vice contenti pregrediemur jam ad argumentorum, quibus suam Calvinianistabilem sententiam conantur, examen, illorumq; nervum incidere atten-

attentabimus. Et quia immensum hic constipant dictorum Scriptura & aceruum; adeò ut testimoniorum non pondere sed numero videantur certare; nos perspicuitatis & brevitatis causâ dicta ab illis ad suum dogma defendendum usurpari solita in certas classes distribuemus; singulis q. generalem responsonem subjecemus: pleniorum & planiorem singulorum locorum explanationem in ipsum disputationis cursum rejicientes.

111. Prima classis illa continebit dicta, qua innuere videntur, omnia omnino, qua sunt à Deo esse & fieri. i. Esa. 55, 11. Verbum meum, quod egredietur de ore meo non revertetur ad me vacuum, sed faciet quacunq; volui. Acto. 17, 25. Ipse dat omnibus vitam & halitum & omnia: v. 28. Per ipsum vivimus, & movemur & sumus. Rom. 11, 36. Ex eo & per eum & in ipsum sunt omnia. i. Cor. 12, 6. Idem est Deus efficiens omnia in omnibus. Eph. 1, 11. Deus omnia efficit ex consilio voluntatis sua. Proverb. 21, 1. Velut rivuli aquarum, est cor regis in manu Iehovae; ad omne quod vult inclinat illud. Ps. 115, 3. Deus noster in cælo est, omnia que vult, facit: que verba ad omnes hominum actiones pertinere dicit Calvinus lib. 1. Instit. cap. 18. § 1. Esa. 26, 12. Omnia opera nostra, tu Domine, operatus es nobis.

112. Hinc inferunt; Omnia que sunt sive bona sive mala Deo non solum præsciente & permittente, sed etiam volente, decernente & operante fieri; Deum ad volendum tam malum quam bonum cor hominis flectere; Deum omnia (omnes motus & actiones) in ipsis etiam impys operari, suaq; voluntate efficiere, ut moveamur quomodo cung; movemur, & operemur quicquid operamur: Deum deniq; omnium actionum, quacunq; ille sint, primariam esse causam.

113. Respondeo primò actiones hominum dupliciter considerari posse: 1; confusè & generatim; quatenus à virtute locomotiva indifferenter omnes proficiuntur: 2; distinctè, specialiter

Zanch. de
Nat. Dei
p. 346. a.

D 3 ter

ter & individualiter; quatenus queq; pro diversitate suarum circumstantiarum individuatur, & ad certum nō dē n̄ restringitur atq; determinatur. Priori consideratione Deus est causa omnium humanarum actionum; quia potentiam illam locomotivam i homini concreavit; 2 in homine conservat. Quod enim motus actiones q; exserere possumus, id unicè omnipotenti rerum omnium conditori & conservatori Deo acceptum est referendum. Et hoc volunt huc q; tendunt citata à Calvinianis dicta. Posteriori verò consideratione, nequaquam Deus actionum humanarum omnium est causa. Quoad enim malas actiones Deus certè non concurrit speciali efficientiā ad illas singulas individualiter producendas; nec ipse quamq; illarum diversitate circumstantiarum individuat, determinat, adq; certum nō dē n̄ restringit.

114. Exemplo res fiet manifestior: Quod homo manum suam mouere & extendere potest, Deo est ascribendum, à quo potentiam locomotivam habet. Quod verò homo manum hoc vel illo modo movet & extendit; quodq; manum movendo & extendendo res alienas ad se rapiit & aufert, non debet nec potest Deo ascribi: siquidem non Deus sed liberum hominis arbitrium efficit, ut specialis hæc actio dicta illa circumstantia individualiter determinetur, adq; certum nō dē n̄ restringatur, & non amplius simpliciter actio, sed furtum appellatur.

115. Haud equidem secus, atq; Terra generalis est fructuum cùm ex arboribus tūm ex herbis pronaſcentium causa: niſi enim illa humiditatē ſuppeditaret arboribus ac herbis, nunquam utiq; fructus progignerent. Quod autem arbores quādam fructus acidos ac malos ferunt; quādam herbe succum venenosum ac noxiū in ſe habent, cauſa utiq; non ē terra, ſed propria cuiusq; arboris natura atq; affectio.

Secundū

116. Secundo respondeo; dupli modo ac sensu universaliter accipi particulam, O M N I S: 1, merè & simpliciter universaliter; 2, in suo tantum certo quodam genere & limitative. Priori sensu per illam omnes indifferenter actiones humanae intelliguntur: posteriori, omnes saltem bona. Queritur jam quo sensu dicta ista particula sit accipienda? Respondet Moses: Omnia quæ fecit Dominus, sunt valde bona.

117. Adde quod 1, Cor. 12. hanc obscurè limitatio adhibetur innuens; esse ista verba de actionibus tantum bonis intelligenda. Et ad locum Eph. 1. pulchre & concinne addit Hieronymus: Non quod omnia, que in mundo sunt, Dei voluntate & consilio peragantur; alioquin & Deo mala possent imputari; sed quod universa que fecit, consilio fecit & voluntate.

118. Secunda classis illorum dictorum est; quibus doceri videtur; Deum illas actiones malas, quas impij exerunt ac producunt; non solum immutabiliter ab aeterno decrevisse, sed etiam efficaciter suo tempore operari. Gen. 45,8. Non vos misipus me hic sed Deus. Act. 2,23. Hunc definito Dei consilio & providentia deditum quum accepissetis manibus iustis crucifixum sustulisti. Act. 4,27. Coacti sunt vere adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxeras, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël; ut facerent quantum manus tua & consilium tuum prius definierat facienda. 2.Sam. 12,11. En ego suscitaturus sum adversum te malum de domo tua, tollamque uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, dormientem cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. v 12. Tu enim fecisti abscondite; ego faciam hoc coram toto Israële & coram Sole. Esa 45,6. Formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: ego Jehovah faciens haec omnia. Amos 3,7. An erit malum in civitate, & Jehovah non fecerit? Thren. 3,38. Ex ore altissimi egrediuntur mala & bona. Eccl.

clef. 11, 14. Bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiae, &
Domino proficiuntur.

119. Respondeo; Malum est duplex: aliud est malum culpa, aliud vero malum pœna. Loca autem citata jam ferè omnia de malo pœna loquuntur; non de malo culpa, de quo præcipue inter Calvinianos & nos controvertitur. Porrò malum pœna vel purum vel mixtum est. Purum, quod simpliciter pœna est, & immediatè à Deo, quantum nobis constat, infligitur, ut morbus, fractio cruris vel brachij, jactura bonorum, mors &c. Mixtum quod simul & pœna & peccatum est; pœna per se & propriè; peccatum per accidens; quatenus pravis affectibus causarum instrumentalium contaminatur. In malo pœna mixto duo plerumq; concurrunt & simul considerari possunt, actio nimirum & passio: Actio respectu ejus qui illud malum peragit; Passio respectu ejus qui illud sustinet & perfert. Vbi sepius accedit ut actio quidem mala sit & injusta; passio vero bona & justa,

120. Hinc sequentes exstruimus & deducimus regulas: 1, Malum pœna purum etiam quā malum, à Deo est ac proficiuntur. 2, Malum pœna mixtum, quatenus bona est & justa passio, Deus vult, & ut fiat, cùm decernit tūm procurat. 3, Malum pœna mixtum, quatenus mala est & injusta actio, Deus nec vult nec ut fiat decernit vel procurat. 4, Ad id, ut Deus voluisse, & prædefinivisse dicatur, Malum pœna, satis est Deum prævidisse malas hominum voluntates, ut q; illæ quod sceleratè concepturæ erant, suo tempore parerent, permettere voluisse, ac deniq; illis se quasi abusurum constituisse.

121. Simili quoq; lubet rem illustrare. Magistratus carnifice uritur, ceu instrumento, in homicida obtruncando. Ejusmodi obtruncatio, quæ est malum pœna, non est per se peccatum. Per accidens tamen peccatum fieri potest: nimirum si carnifex farsan ab illo

ab illo homicidâ antea vel verbo vel factâ lœsus, animum habet
at vindictâ cupidum, ideoq; crudelius, quam par sit, cum illo agat; vel etiam se hoc facto oblectet, ex cogitâ voluptatem capiat; vel alio modo alijs affectibus illicite indulget. Quod quidem ascribi Magistratui minimè potest vel debet? Sic pœnarum divino judicio constitutarum executiones non sunt peccata, nisi per accidens; quatenus impij sua avaritiae, aut ambitionis, aut invidiae, aut crudelitatis fermento illas inficiunt & contamnant, at q; nullum alium scopum, quam ut sua voluntatis libidinem expleant, sibi habent præfixum. Quod certè Deo minimè est ascribendum, qui malitiam hominum prævidens illamq; permettere & abusivè quasi usurpare decernens, ad bonum hunc & salutarem finem eam dirigit & determinat, ut impij etiam ne scientes ipsius exequantur iudicia.

122. Tertia classis illa complectitur testimonia, quibus significatur Deum creare impios, sive ut homines impij fiant, & omnis generis scelera & flagitia committant, efficaciter procurare, ut postea in illis puniendis justitiae sua majestatem & gloriam manifestet. Proverb. 16, 4. Omnia operatus est Jehova propter se ipsum, etiamq; impium ad diem malum. Exo. 9, 16. Et profectò ob id constitui te, nempe ut ostenderem in te potentiam meam, ut q; narrent nomen meum in universâ terrâ. I. Sam. 2, 25. Non audiverunt (fili Eli) vocem patris sui, quia volebat Jehova occidere eos. Rom. 9, 21. Annon habet sigulus potestatem luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus.

123. Respondeo aliud esse efficacem peccati productionem; & aliud illius ad salutares fines determinationem atq; directiōnem. Item aliud esse efficaciter procurare, ut quis fiat & sit impius; aliud est impium tolerare, superstitem relinquere, restare facere, atq; ad id ordinare, ut tandem in illius pœnâ punientis

nientis inclarescat gloria. Posterius ergo horum saltus Deo cum
tribuere liceat, ac convenire certum sit, eo in sensu productate-
stima accipere nos pietas jubet.

124. Quarta classis continet ea loca, quibus doceri videtur,
Deum impellere ac incitare homines ad mala; immo peccata illis
perpetranda mandare ac praecepere; nec non deniq; illis quasi in-
strumentis uti ad ea opera, qua sine peccato fieri nequeunt.

2. Sam. 24, 1. Et addidit furor Jehovae irasci contra Israe-
lem, & concitavit Davidem in eos dicendo; vade numera
Israelem & Iehuda. 2. Samuel. 16, 10. Nam Jehovah dixit
ei; Maledic Davidi: & quis dicet cur fecisti sic? 1. Reg. 22, 22.
Dixit ergo Jehova decipies, & prævalebis: egredere & fac ita.
Sic 1. Reg. 12, 18; 24. Dißidium & rebellio jarobeam contra Re-
habeam à Deo esse dicitur. Sic Senacherib serra in manu Domi-
ni, virga furoris & baculus ire ejus. Esa. 10, 5; 15. Rex Baby-
lonis malleus universa terra, Jerem. 50, 23; & rete Dei ad ca-
piendos Israëlitas expansum, Ezech. 12, 13 vocatur. Et ecce e-
go, inquit Deus. Esa. 13, 3; 17. præcepi sanctificatis meis. Ecce
ego suscito contra vos Medos, qui argentum non estimabunt, &
aurum non volent. Arcus illorum pueros allident, neq; fructui
ventris miserebuntur, neq; filijs parcer oculus illorum. Chaldaeï
Hiobum omnibus spoliarunt bonis; & tamen Hiobus dicit; Do-
minus dedit; DOMINVS abstulit, cap. 1, 21. Psal. 105, 25.
Mutavit animum illorum, ut odio haberent populum suum, ut
machinarentur contra servos suos.

125. Respondeo primò instrumenta duplicitis esse generis; alia
& ψυχα & anima; alia ψυχα & kivina. Illa à causis princi-
palibus solum moventur: hec à principalibus causis mota simul
etiam se ipsa movent. Quæ igitur cause principales per instru-
menta & ψυχα agunt; illis in totum actio, qualis demum ea sit, re-
fertur accepta: Quæ vero per ψυχa, illis, si culpa instru-
mentorum actio vitiosa existat, vitiositas ista non est ascribenda.

Quare

Quare licet Deus hominibus impījs, ad quodvis malum per se proclivibus, tanquam instrumentis utatur in puniendis legis sua prævaricatoribus, inq; probandis & exercendis suis fidelibus; tamen quia impīj simul etiam se ipsi movent & ex interno principio suarum actionum sunt cause efficientes, non est ascribendum Deo sed ipsorum malitiae, quod justitiam divinam administrando perperam agunt & peccant.

126. Non enim Deus creat & excitat in illis malitiam, sed illam prævidens constituit se permisurum, ut in actum erumpat, verum ita ut simul justitia sua divina inserviat atq; ancilletur. Et hac ratione Deus impiorum malitiā quasi abutitur; id est, eam aliorum flectit ac dirigit quamquā ab impījs intenditur. Quare nihil minus hinc colligi potest, quam efficiētem, actuosam, volentem & efficaciter decernentem peccatorum, quatenus peccata, operationem & vim ipsi Deo esse ascribendam.

127. Secundō in omnibus illis actionibus duo concurrunt; Mala actio & justa paſſio. Quando igitur à Deo esse dicuntur, id fit respectu justæ paſſionis; non respectu male actionis, qua ab ipsis impījs existit atq; exoritur.

128. Tertiō illa dicta non de efficaci Dei actione, sed ipsius permissione, & sapienti moderatione ac directione loquuntur: 1; quia 1. Chron. 21, 1. legimus; Consurrexisse Satanam contra Israël, & incitatissē Davidem ut numeraret Israël: itaq; is qui propriè Davidem incitavit ad peccatum, non Deus sed Diabolus fuit; tribuitur tamen haec incitatio etiam Deo, quia nisi Deus permisisset, Diabolus id praestare non potuisset; permisit autem, quia id peccata populi precedentia merebantur: 2, quia constat Diabolum non à Deo fuisse incitatum ut affligeret Jobum, sed Deum saltem Diabolo permissionem divinam optanti & facultatem vexandi Jobum petenti annuisse, & id quod cupiebat concessisse. De similibus autem idem judicium.

129. Quinta classis illa complectitur testimonia, quibus indicatur; Deum excœcari & indurare hominum corda, ut non velint nec possint bene agere; Exo. 7, 3. Ego vero indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa mea, & portenta mea in terrâ Misraim. Deut. 2, 30. Noluit Sihon rex Hesbon, ut transiremus per se: induraverat enim Jehova Deus tuus Spiritum ejus, & obfirmaverat cor ejus, ut daret eum in manum tuam. Jos. 11, 20. Quia à Jehova fuit hoc, ut induraret cor eorum in occursum belli cum Israël. Esa. 63, 17. Quare errare nos fecisti ô Jehovah de vijs tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te. Jerem. 20, 7. Seduxisti me Dominus, & seductor sum: fortior me fuisti & prevaluisti. Rom. 9, 18. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Job. 12, 39. Propterea non poterant credere; quia iterum dixit Esaias; Excœcavit oculos eorum, & callum obduxit cordi eorum; ne videant oculis & ne intelligent corde, & convertantur ac sanem eos. 1. Pet. 2, 8. Impingunt in sermonem, negant credunt, ad quod & positterant. Rom. 1, 28. Tradidit Deus gentes in mentem omnis judicij expertem, ut facerent quæ minimè convenientiunt. 1. Reg. 12, 15. Non exaudivit Rex populum: fuit enim causa à Jehovâ. Jobi, 12, 24. Qui amovet animum primoribus populi terra; & facit ut aberrent in loco iniquitatis avio: v. 15. Palpantes in tenebris deficiente luce; quum facit ut errant, sicut errat ebrius. Esa. 19, 14. Dominus miscuit in medio ejus Spiritum vertiginis.

130. Respondeo actiones, quæ Deo in sacris literis ascribuntur, non esse unius generis. Aliæ enim sunt positivæ, quas juvando, operando, & efficaciter procurando; aliae vero negativæ seu privativæ, quas permittendo, deserendo, gratiam suam subtrahendo, non miserendo existere Deus facit. De posterioribus autem accipere oportet adducta Scriptura & testimonia. Nam indurat, excœcat, seducit Deus homines, non novam in eis malitiam

siām ingenerando (ut in renatis novas vires quasi creat, novaeq;
obedientia studium excitat, quando eos efficaci S. Sancti opera-
tione regenerat) nec cogendo, cūm nemo nolens peccet; sed jam
antē propriā culpā corruptos magis magisq;_g, deserendo, gratiam
suam subtrahendo ac denegando, eosq;_g cupiditatibus cordium
propriorum committendo. Quod justē fieri à Deo negare nemo
potest; cūm iūstūm non sit, ut qui deserunt, deserantur; Deus
autem non deserat nisi desertus.

131. Hinc eleganter Augustinus (*in epist. 105. ad Sextum*)
Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo
misericordiam. Et lib. 1. *ad Simplicium quest. 2;* Obdurare
Deum, est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit
homo deterior; sed tantūm quo sit melior non erogatur.

132. Quod si instent ac regerant Calviniani, activa verba
usurpari in Scriptura, ubi Deo excœatio, induratio, seductio,
amo:io, mixtio tribuuntur; ideoq;_g, operationem & actionem ef-
ficacem in talibus etiam effectis Deo esse ascribendam; responde-
mus verba activa apud Hebreos non semper actionem denotare,
sed sèpè illos etiam effectus verbis activis describi, qui vel prece
vel pretio, vel permissione, vel alio quodam modo à quopiam de-
pendent; nec non apud eos verba quedam sèpiùs pro contraryis
negatis usurpari.

133. Exempla suppetunt aliquam multa. Exo. 1, 17. Obst-
rices vivificârunt pueros, id est, vivere permiserunt; non
enim vitam quam non habebant, ipsis largitæ sunt, sed quam ha-
bebant conservârunt. Deut. 20, 6. Non vivificabis omnem ani-
mam, id est, non sines vivere: non enim prohibetur populus
judaicus non conferre vel largiri vitam vitâ destitutis; sed non
conservare & prolongare vitam viventibus. Jos. 6, 25. Ra-
chab cauponariam & domum patris ejus, Josua fecit vivere;
non quod Rachab mortua fuerit, & à Josua vita restituta sit;

E 3

sed

sed quod Iosua vita Rachab parcens illam vivere diutius permisit.

134. *Hac in genere ad quinq; testimoniorum à Calvinianis pro sententiâ suâ stabilienda adduci solitorum classés respondere sufficiat hoc tempore, nè opus in immensum excrescat. Pleniorem & planiorem explicationem qui desideraverit, haud gravatim ipsi in Disputationis cursu communicabimus. Cui etiam ob eandem causam rationum Calvinisticarum examen reservabimus.*

135. *Quod igitur solum jam restat, breviter exponemus veram Ecclesiarum orthodoxarum de causa peccati sententiam: ostensuri, an & quatenus actiones male hominum Divine providentia subjaceant: à Deo nè sit principaliter, an ab ipsis creaturis, quod mala sunt & fiunt in mundo.*

136. *Statuimus igitur ac docemus constanter; Peccata, quæ venus peccata, proprie loquendo nec volente, nec ordinante, nec decernente aut definiente, nec imperante, nec cœquularis operante, nec internâ actione movente & impellente, nec efficaciter procurante Deo fieri ac perpetrari: hoc est, Deum producētricem peccati causam nulla ratione esse: ut supra evidentissimis Scripturae testimonijs apertissime demonstravimus.*

137. *Quid igitur? Annè Deus otiosus malarum actionum, quæ fiunt, spectator? An à peccatis providentia Divina prorsus removenda atq; sequestranda?*

138. *Hanc questionem antequam excutiamus, ostendemus prius breviter, unde Peccatum cùm primum, tūm ortum, sive corruptionis sive actionis, suam quomodo traxerit originem.*

139. *Creavit Deus ab initio inter res cæteras etiam Diabolum & hominem; & quidem in conditione optimâ, ac perfectione maximâ: id q̄ adeò ut ab utraq; agnoscatur perfecte, & de voto animo coleretur spontanè.*

Concessit

140. Concessit autem illis liberum arbitrium, liberam vel ad bonum vel ad malum inclinandi voluntatem ac facultatem: Ut potuissent, si voluissent, constanter & sine ulla cœpitatione perfecta Dei cognitione frui & se oblectare, Deumque suo cultu voluntariè honorare: ut potuissent, si voluissent, perpetuo carnem Spiritui, appetitum rationi, voluntatem menti subiecere atque subjugare; & nunquam committere, ut pars inferior excusso superioris jugo in se dominaretur.

141. Verum tantâ gratiâ, tam præstanti dono turpiter, proh dolor, ex se & per se abusi sunt, sed miserabiliter spoliarunt.

Diabolus subjectum occupans sive objectum intellectus habebat majestatem Divinam; ita ut illam intueri, admirari, cum jucunditate agnoscere, cum spontaneâ promptitudine colere & liceret ipse & ipsum deceret.

142. Verum cum Diabolus intellectu suo à scopo hoc legitimo propriâ electione & spontaneâ deflectione aberraret, illumque circa dictam majestatem Divinam ita versari sineret, ut eam emulari, similisque ei & aequalis fieri studeret; & hac ratione ambitionis ac superbæ virtutis se contaminaret, graviter Deum offendit, ac ita iram ipsius in se concitatavit, ut ex caelesti domicilio migrare coactus, & ex angelo gratia angelus ira & maledictionis factus sit.

143. Expressa hac de re extant testimonia. Joh. 8, 44. Diabolus fuit homicida à principio, & in veritate non persistit: non est enim veritas in eo. Quotiescumque loquitur mendacium de suo loquitur, quia mendax est, & pater ille mendacij. 1. Joh. 3, 8. Qui dat operam peccato ex Diabolo est: quoniam à principio Diabolus peccat. Iud. v. 6. Angeli qui non conservarunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, iudicio magni illius Dei vinculis eternis sub caligine reservantur.

144. Hanc suam miseriā ægerrimè tulit & tristissimè luxit
Diabo-

Diabolus, nihilq; magis ac crebrius habuit in votis, quam socium tant& tamq; calamitose miseria sibi adjungi. Ac proinde ut hominem, cui felicitatem & perfectionem suam invidebat maximè, seduceret, nec non perditionis reti secum involveret operam impendere sedulam constituit. Quo consilio inito, nullam traxit moram, sed impiger negotium capeſſivit. Sap. 2,23. Deus creaverat hominem ad conditionem incorruptam: sed inuidia Diaboli mors intravit in mundum.

145. Nec sanè infeliciter illi res succedit. Nam Eva & verbis haud multis penitus persuasit, non modo non pernitiosum, sed insuper salutare etiam ac honorificum ei fore, si de arbore interdicta fructum decerpatur, decerptumq; comedat. Eva igitur suadenti & tandem persuadenti Diabolo obtemperans, cum ipsa prior de pomo decerpito edidisset, viro etiam suo Adamo illud obdulcedinem mirificè jam laudatum & commendatum gustandum præbuit. Qui ubi illud gustavit, animadvertisit se suamq; conjugiem esse nudos, indeq; se contra Dei mandatum graviter peccasse intellexit.

146. Ita igitur Protoplasti nostri lapsi sunt, & quia concreta & perfectionis donum non persona sed specie erat, non solum se ipsos, verum etiam totam suam posteritatem illo ipsa exuerunt ac spoliarunt: e;q; contrario cum seipso tum omnes posteriores corruptionis larva turpissime deformarunt. Rom. 5,12. Per unum hominem peccatum introiit in mundum: v. 19. per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.

147. Quæ naturæ humanae corruptio (originale peccatum vulgo dicitur) non sterilis est in homine, sed proh dolor nimis fœcunda, nec non copiosos fructus largiter effundit. Rom. 7,17. Peccatum quod in me habitat, perpetrat malum. Iac. 1,14. cupiditas, postquam concepit, parit peccatum; Præsertim ubi commoda objecta ad peccandum solicitantia adsunt, commoda e;q; occasiones

siones prabentur. Rom. 7, 8. Peccatum occasione sumta genuit in me omnem cupiditatem.

148. Ut autem Diabolus initio corruptus etiam hominem corrupit & falso suo fructuum arboris interdicto & eloquio misere seduxit; quod tamen per se efficere neutquam potuisset, nisi suâ sponte in malum homo consensisset; ita idē ille Diabolus homini jam corrupto & originalis peccati lue contaminato sapissimè autor & suvisor est, quod peccat, praecipitq; justissimi Dei licentiosè transgreditur: 2. Cor. 4, 4. 1. Joh. 2, 16. 1. Thess. 3, 5. Act. 5, 3. Joh. 13, 1. 2. Tim. 2, 26. 1. Paralip. 21, 1.

149. Vbi accuratiū aliquantō considerandum & attendendum est; quatenus & quonam modo Diabolus causa & autor constitui debeat peccatorum actualium in hominibus, propter vitiatam jam naturam per se ad peccandum justo proclivioribus.

150. Immediata certè illorum causa esse & constitui non potest; cum proprium & immediatum actus peccati principium sit hominis depravata per mendacium Diaboli & falsam boni speciem voluntas: quam adeò necesse est consentire & concurrere, ut nisi hoc fiat peccatum respectu hominis jam à natura quasi peccati totum exeat.

151. Neq; etiam directa peccatorum causa est Diabolus: qualis nimistrum solet esse ea, qua voluntatem ad volendum vel agendum aliquid intrinsecus movere & inclinare potest. Hoc enim solummodo partim Deo; convenit qui tamen nunquā ad malū hominis voluntatem movet atq; inclinat, sed semper ad bonum: partim ipsi humana voluntati, qua ut movere se atq; inclinare possit spontaneā facultate, à Deo opifice est condita.

152. Restat ergo ut indirecta tantum causa peccatorum dicatur & constituantur Diabolus, quatenus nimirum exteriori motu voluntatem hominis ad peccandum inclinat, allicit & sollicitat: quod continetur dupliciter; 1, objectū aliquod appetibile sensibus humanis sistendo atq; offerendo: 2, objectū propositionem voluntati & rationi hominis commendando, ut q; id commendari habeat dolosis illecebris persuadendo.

153. Vnde consequenter colliguntur, minimè omnium statuendum

atq; existimandum esse; Diabolum necessitatem peccandi homini inducere: sive hominem etiam invitum & nolentem pro suo libitu obtorto quasi collo trahere, & ad peccandum coactivè impellere.

154. Ac proinde quod Satanus in Iudam intrâsse & pravas cogitationes in cor ejus immisisse; nec non suis laqueis hominem captivum tenere dicitur, non sic accipiendo, quasi nescientem, nolentem ac reluctantem obtorto collo hominem rapiat, & voluntatem ejus transversam violenter agat: verum ita intelligendum, quod objecta homini offerat, & rationi tenebras dolos mendaciaq; suggestat, ac deniq; appetitum sensitivum incitet & blandis illecebris alliciat, ut in peccatum volens homo consentiat.

155. Hoc ergo modo ab hisce causis peccata existunt, suamq; trahunt originem: non quidem invito & efficaciter impedire laborante, sed spontaneè permittente Deo. Si enim Deus non permettere, sed efficaciter impedire cù lapsum Diaboli & hominis, tūm omnia alia inde dimanantia peccata voluisse, uti q; potuisse, siquidē voluntati ejus nemo potest resistere, Rom. 9, 19. & ipse facit quæcunq; vult, Psal. 115, 3.

156. De qua Dei permissione hæc & ejusmodi alia Scriptura dicta loquuntur. Syr. 15, 14. Ipse hominem creavit ab initio eumq; arbitrio consilij sui permisit, v. 17. Ignem & aquam tibi posuit, ad utrum voles manum porrige Ps 81, 12. Non paruit populus meus voci meæ, & Israël noluit mihi obtemperare. Permisit igitur eos fortitudini cordis eorum, & ambulârunt in consilijs suis. Act. 14, 16. Deus prateritis atatibus sicut gentes suis ipsarum vijs ambulare.

157. Sed, inquis, quia impedire Deus potuit peccatum, & tamen noluit impedire, sed fieri volenter & spontaneè permisit, videtur Deus non solum injuste egisse, quod homini periculissime lapsuero suam, cum potuisse, non sufficerit manum; sed etiā peccati autor esse; siquidem id fieri servit & permisit, cum tamen impedire potuisse, facilissime.

158. Resspondeo; i; Deum non posse ullo modo accusari in justitia; siquidem homini, quem tantis viribus instruxerat, ut potuisse per se lapsum praecavere, ad id non fuit obstrictus. Certè qui quipiam agendo pec-

do peccat, & peccati autor existit, is aut agit, quod non debet, aut non agit quod debet. Nam verò de Deo neutrum horum dici potest; quod nimis peccatum permittendo, aut non egerit quod debuerit, aut egerit quod non debuerit. Ergo quoq; de illo dici non poterit, quod peccatum permittendo peccarit in iustis q; fecerit.

159. Deinde certum est Deum non absoluta suā potentia sed ex pacto & lege condic̄tā cum homine egisse, per media nimis commoda (permissionem boni & comminationem mali) ac ordine legitimo. Licet igitur peccatum prohibere suā potentia potuisse; non tamen prohibuit; quia prohibere non debuit, ne turbaret ordinem & suum opus destrueret.

160. Tertio ideo permisit Deus peccatum fieri, quia scivit posse se inde bonum elicere finem; sive id ad bonum finem reducere. Quā de re praeclarè & eleganter Augustinus (lib. de corrupt. & grat. c. 10.) Quia creavit omnia valde bona, & mala ex bonis exoritura esse prescivit, scivit magis ad suam potentissimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere. Item; Deus igitur permisit hominem tentari, quem sciebat esse casum, quia simul videbat, eo casu se uti posse ad misericordiam & justitiam declarandam, dum ex damnata massa alios iuste puniet, alios misericorditer liberabit.

161. Dum autem Deus scienter & spontaneè, ut homines peccent, omnis q; generis flagitia ac sceleris perpetrent, permittit, non ut i q; otiosus omnino est spectator, sed negotiosus moderator.

162. Primo enim Deus peccata fieri permittendo sua sapientia justissima exercet atq; exsequitur judicia, quando nimis se deserentes deserit, ijsq; divinam suam gratiam subtrahit; nec non sinit ut homines partim proprijs cupiditatibus acriter stimulati, partim à Diabolo efficaciter persuasi atq; incitati, magis ac magis peccatorum cœno immergantur, & in quaevis flagitia præcipites ruant. Rom. 1, 28. Sicut non comprobârunt ut Deum agnoscerent: ita tradidit eos Deus in mentem omnis judicij expertem, ut facerent, que minime conveniunt. Oppleti omni iustitiā, scortatione, improbitate, avaritiā, malitiā, plen-

ni invidiâ, cœde, contentione, dolo, malignitate, susurrones. Obrectatores, Dei osores, contumeliosi, superbi, gloriosi, inventores malorum, parentibus immorigeri: Insipientes, fædifragi, charitatis expertes, im- placabiles, immisericordes.

163. Deinde metas quoq; determinat, quatenus & quousq; impij iniquitatem exercere & operari debeant. Non enim permissione Dei usq; eò relaxatur fratum impys, ut quasi prorsus liberi & soluti, quando, quatenus & in quantum ipsis libet ac placet, in periculosa iniquitatis regione vagari, peregrinari atq; grassari queant; sed quoties liberius expatriari volunt Deus repagula illis objicit, & duro sui regimini frano eos coercet.

164. Testantur hoc Scriptura testimonia: Gen. 27, 41. Esau dixit in corde suo; venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum: hoc propositum ita fregit & mutavit Deus, ut Esau osculo fratre redeuntem exciperet, ut Gen. 33, 4. legimus, Num. 22. Bileam intendit maledicere populo, & quidem eò pergit, sed à Domino prohibetur in via per angelum. Jobi, 1, 12. Vnivera que habet in manu tuâ sunt, tantum in ipsum non extendas manum: & c. 2, 6. Ecce in manus tuâ est, veruntamen animam ejus serva. Sic Semei, de quo 2. Reg. 16, 5. fit mentio, habebat animum maledicium, & propriâ suâ voluntate, ad maledicendum erat propensus. Permisit igitur Deus ipsum cordis sui desideria explere, sed ita ut corruptam ejus voluntatem inclinaret ac flecteret ad maledicendum potius Davidi in pœnam, quam alij cuiquam innocentii. Sic Philistini atram sui hostilis animi bilem in Judaos evomere non poterant, antequum Deus populum Judaicum ob multa ac varia ejus peccata punire volens fratum ipsis relaxaret. 2 Par. 21, 16.

165. Tertiò Deus pessima impiorum consilia, & pernitiosissimos conatus sèpè vertit ac commutat in bonum: quemadmodum Josephus discretè testatur, Gen. 50, 20. vos, inquiens, cogitastis de me malum, sed Deus illud in bonum convertit. Haud equidem secùs ac Medici illo veneno, quod vipera ad corpora hominum ledenda & inficienda fecit & apparavit, ad eadem curanda sepiissime adhibent.

Quarto

166. Quartò peccata illa impiorum enormia permittit quidem Deus, verum non impunè; quasi licita sint, ipsi complacent; sed tandem severissimè ea punit, inq. ijs puniendis justitia suæ gloriam augustinissimè illustrat, ut Sacra Biblia multis valde insignibus exemplis hoc ipsum nos satis plenè ac planè edocent.

167. Vbi si forsitan quis querat volens nè an nolens, Deus peccata fieri permittat? & si volens, an nè, ut cuiquam videri queat, cum complacentia & impunè? respondemus illi; Et utroq. modo, & neutro. Utroq. modo; si volenter permettere pro spontaneè permettere; nolens vero, pro, improbans & odio habens, accipiatur. Neutro; si volens idem sit, quod approbans & amans; nolens vero idem, quod invitus, coactus, impedire efficaciter laborans.

168. Respondere etiam ad propositam hanc questionem alio possumus modo: nimurum permissionem Dei partim voluntariam esse, partim involuntariam; sive, in illa simul & exscis aliquid, & aliquid exscis inesse. Quatenus enim permissione ad ipsum peccatum referuntur, involuntaria est, quia Deus odit & aversatur peccatum, illud q. vult minimè: quatenus vero ad finem; non quem ipsi impi intendunt; sed quæ optimus Deus pro summa sua sapientia inde elicit ac educit, est voluntaria.

169. In quarum responsionum neutra ullam videmur implicare contradictionem: siquidem in illa non opposito revera sensu; in hac non eodem sed diverso respectu dicimus, quod dicimus: ut cuivis rem diligenter consideranti apertissimè patet.

170. In utraq. autem abundantius satisfacimus etiam alteri annexæ questioni; dum negamus; Deum volente, id est, approbantem & amantem permettere peccata; item, Dei permissionem respectu ipsius peccati esse voluntariam. Hoc enim si affirmaretur à nobis omnino inde infallibilis consequentia colligi posset: Deum cù complacentia, adeoq. cùm quod approbat, amat, ipsi q. complacet non possit odio habere, multo minus punire, impunè permettere flagitorum perpetrationem.

171. Cum itaq. Deus nequitiam sit otiosus peccatorum spectator, sed expositis jam modis & respectibus circa illa versetur & occupetur;

quilibet intelligere potest facillimè; Providentiam Divinam nullo modo esse à malis hominum actionibus prorsus semovendam atq; sequestrandam, sed in illis & ad illas concurrere. Quod quomodo & quantum fiat paucis yssq; brevibus aphorismis ostendemus atq; indiciabimus.

172. I. Providentia divina sustentat in homine non solum naturam, sed quoq; facultatem motricem, ut superstes maneat, & agere se q; mouere queat.

173. II. Providentia divina nullà individuali (respectu scil. singularium & ad certum nō dē n determinatarum actionum) efficaciam malas actiones fieri procurat: ideoq; ad illas non à priori, ut causa ad effectum; sed à posteriori, ut adjunctum occupatum ad subjectum occupans, referenda est.

174. III. Providentia divina actionum malarum ab homine proficiscentium metas cùm temporis tūm modi constituit ac figit, ut nec citius vel tardius, nec liberius vel impeditius fiant, aut fieri queant, quam illas fieri divina providentia placet.

175. IV. Providentia divina actiones hominum malas ita moderatur, regit ac gubernat, ut boni quid tandem inde ebulliat, adq; Ecclesiam & pios redundet.

176. V. Providentia divina actiones hominum malas coerget, castigat, punit: ac ita justissima sua judicia circa illas & in illis exercet atq; exequitur.

177. In horum aphorismorum secundo de Providentia, quod diximus, in primis etiam tenendum putamus de præscientiâ Dei; quam ut simpliciter generalem esse, & non solum ad bona sed etiam ad mala extendi nullum est dubium; ita malas actiones causaliter producere siue efficaciter procurare, illisq; necessitatem inferre & imponere, dictu absurdum est ac impium.

178. Nam non ideo lapsus est Adam, non ideo posteri ipsius peccata committunt, quia Deus præscivit; sed ideo Deus præscivit, quia ita futurum erat. Quod si aliter eventurū fuisset, aliter Deus præscivisset.

179. Atq; ita non actiones male à præscientiâ Dei; sed hac ab illis depen-

dependet; nec tamen sequitur præscientiam Dei esse incertam; siquidem Deus ita quidlibet præscit, prout est futurum; aliter id præscitus, si aliun eventum esset sortiturum.

180. Dependet autem præscientia Dei ab actionibus malis non ut effectum à causa constitutivâ; sed ut adjunctum occupatum à subjecto occupante. Quemadmodum enim visio non est aut sit absq; re visibili, nec esse aut fieri potest, & tamen nequaquam à re visibili ut à causa constitutivâ dependet; ita etiam Deus præscire malas actiones dici quidem non possit, nisi male actiones eventura certò fuissent: nec tamen propterea statuendum est actiones malas esse causam constitutivam divinae præscientie.

181. Præscientiam Dei à rebus præscitis dependere quod dicimus, absurdum si cui videatur; siquidem nihil sit in Deo, quod aliunde dependeat; is sciāt, distinguere nos inter facultatem præsciendi, & inter actum præsciendi. Facultas præsciendi in Deo non dependet ab ulla re, quæcumq; illa demum extra Deum fingi queat; ceu visus vel videndi facultas in homine non dependet à re visibili. Actus autem præsciendi à rebus præscitis omnino dependet, & nunquam producetur, nisi res quedam essent certò futura; ceu visio omnino à rebus visibilibus dependet, & nunquam existeret, nisi res essent visibles.

182. Sic quoq; si mirum cui videatur, præscientiam Dei non injicere peccatis præscitis necessitatem, & nihilominus tamen esse certissimam maximeq; infallibilem, is consideret duo hæc sequentia exempla similia, & rem totam habebit planissimam. Medicus ex periculo morbi constitutione mortem certò subsecuturam præscit ac prævidet: nec tamen hac prævisione ullam aegroto imponit moriendi necessitatem; siquidē ille nihilominus moriturus fuisset, etiam si Medicus id non prævidisset. Similiter Astronomus ex cursu & positione planetarum prævidet, præscit ac predicit illo vel illo temporis articulo certò futuram Lunæ vel Solis eclipsin: quâ suâ prævisione ac predictione non equidem necessitatem infert eclipsi, etiam aliâs absq; illâ ex veris & proprijs suis causis eventura. Et licet uterq; cum Medicus tum Astronomus,

non

non imponant rei præscitæ necessitatem, non tamen inde sequitur illorum præscientiam & prævisionem esse incertam ac dubiam: siquidem ita rem prævident, ut certo ex causis satis cum idoneis tunc sufficien-tibus oritura est: aliter illam præscituri, si aliter eventura esset.

183. Deniq; moveri etiam hic solet quæstio; Cur Deus hominem, quem, si talis crearetur, certo lapsurum præsciebat, crearit labilem? Cur non talem considerit, qui nullâ ratione ad lapsum inclinare, ne dicam labi potuisse? quam quoq; breviter explicare & solvere opera pretium judicamus.

184. Labilem esse dupli modo ac sensu potest accipi; vel de condi-tione & statu tali, in quo quis, si ita vult & ipsi placet, potest labi; vel de qualitate ad lapsum inclinante & propendente.

185. In priori sensu concedimus hominem esse creatum labilem; in posteriori però sensu neutiquam.

186. Causas autem cur eo sensu labilem Deus crearit hominē damus quas possumus; 1, quia Deus voluit creaturā condere non sibi aequalē sed se inferiorē; ideoq; non simpliciter immutabiliē, sed pro propriā ejus voluntate ac bene placito mutabilē: 2, quia voluit sibi cultū ab homine præstari prorsus voluntariū & non pro naturae conditione necessarium.

187. Quibus causis qui acquiescere nec volunt nec possunt, sed ingenij sui acie ad ipsam usq; divitiarum divinae sapientiae profunditatem pertinere, eamq; prorsus emetiri curiosius satagunt, illi vidant ne proprio suo exemplo discant, proprio suo malo experiantur verum esse, imd verissimum illud Spiritus Sancti pronunciatum; Qui scrutatur majestatem, opprimetur à gloriā.

188. Qui però illis acquiescunt & contenti sunt, illi nobiscum & pleniorē per-fectioremq; rerum omnium divinarum cognitionem in cœlesti Academia, ubi Deum à facie ad faciem contemplabimur, ac ita uti est intuebimur, percipiendam certā ac indubitatā θηρεοφορία expectent: & gratias agant, gratesq; canant animo maxi-mè devoto Deo ter. Opt. Max. pro communicata nobis in hac eruminarum ac tene-brarum valle tantā rerum mysticarum salutem nostram conceruentium cognitionē, quantā nobis est ad vitam aeternam obtinendam necessaria: & deniq; supplices eun-dem Deum rogent, ut ab incorrupto adhuc Ecclesie agro Seminatores zizaniorum longè abigat ac propellat, & nos dulci ac fano cœlestis sui verbi pabulo largiter ad finem usq; vite vesci benignè largiatur,

F I N I S,

dependet; nec tamen sequitur præsciendo. Deus ita quidlibet præscit, prouerbus, si alium eventum esset sortitus.

180. Dependet autem præscientia effectum à causa constitutivâ; sed ut occupante. Quemadmodum enim vi nec esse aut fieri potest, & tamen non constitutivâ dependet; ita etiam quidem non posset, nisi malæ actiones tamen propterea statuendum est actionem diuina præscientia.

181. Præscientiam Dei à rebus absurdum si cui videatur; siquidem pendeat; is sciat, distinguere nos inter aëtum præsciendi. Facultab ulla re, quæcunq; illa demum extividendi facultas in homine non dicitur, nisi res quedam essent certò possibilibus dependet, & nunquam ex

182. Sic quoq; si mirum cui vide peccatis præscitis necessitatem, & maxime q; infallibilem, is considerlia, & rem totam habebit planissimam constitutionem mortem certò subsecutam; tamen hac prævisione ullam agrotum quidē ille nihilominus moriturus vidisset. Similiter Astronomus ex videt, præscit ac predicit illo vel Luna vel Solis eclipsin: quā suā præ necessitatem infert eclipsi, etiam suis causis eventuræ. Et licet ut

re incertam; siquialiter id præscitu-nibus malis non ut cupatum à subjecto fit absq; re visibili, visibili ut à causa malas actiones dicto fuissent: nec tamen causam constituti-ndere quod dicimus, eo, quod aliunde dicitur præsciendi, & in Deo non dependet queat; ceu vi-sus vel visibili. Actus autem & nunquam produc-tio omnino à rebus vi-sibiles effent visibles. tiam Dei non injicere tamen esse certissimam quentia exempla simili-s ex pericolosâ morbi sit ac prævidet: nec endi necessitatem; si Medicus id non prædictio-ne planetarum præ-articulo certò futuram predictione non equidem i ex veris & proprijs icus tūm Astronomus, non

